

**Dissertatio inauguralis medica, de abusu venaesectionum ... / [Georg Tobias Weissman].**

**Contributors**

Weissman, Georg Tobias.  
Camerarius, Rudolf Jakob, 1665-1721.  
Universität Tübingen.

**Publication/Creation**

Tubingae : Literis Hiobi Franckii, [1715]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/eytj83e5>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
ABUSU  
VENÆSESECTIONUM,

<sup>Quam</sup>  
Consensu & Autoritate,

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
IN ALMA EBERHARDINA

PRÆSIDE

DN. RUDOLPHO JACOBO  
CAMERARIO,

Phil. & Mēd. Doct. hujusque Prof. Publ.  
Ordinar. Acad. Natur. Curios.

*Domino Patrono & Promotore suo summè de venerando*

PRO LICENTIA

SVMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,

Publico Eruditorum Examine submittit

GEORGIUS TOBIAS Weismann/ Nürtingensis.

*Ad diem Martii MDCCXV.*

Hor. Loc. Consuet.





Σ. O.

**U**emadmodum hodierno, si ullo è prioribus, seculo, mos invaluit, ut partim ob temporis injuriam, partim propter perversos hominum mores multa communi saluti ordinata atque instituta tristi fato & pernicioso abusu in malas & scandalosas consuetudines convertantur, quas sancitæ leges constitutæque pœnæ haud ita facile vel tollere vel emendare valent: ita in Medicina quoque plura habemus vel statuta vel subsidia pro valetudine tam conservanda quàm restituenda, quæ pervicaci ignorantium temeritate & præjudiciosa multorum perversitate, cùm vitæ & sanitatis remedia esse deberent, vel in tempestivè usurpata vel illegitimè applicata, magis infau- sta esse cernuntur, quàm salutaria, imò violenta quasi me- dia, quibus sanitas destruitur magis, quàm erigitur, & vita à mortis periculo liberanda iis ipsis citiùs & certiùs in per- niciem suam conjicitur. Arduum non foret multis exem- plis assertum hoc nostrum illustrare illiusque veritatem comprobare, quilibet, qui toto semper die nobilissimam artem impio abusu violari videt, sponte capiet, quid mul- ta velimus paucissimis dicere. Sufficiat è multis malis consuetudinibus unicum producere specimen, quod testari possit, nos haud injustè queri aut indignari. Venæsectio

tale institutum est, quod si debitâ prudentiâ & cauto moderamine, consideratis probè singulis personarum, ætatum, temperamentorum, vitæ generis, temporum, morborumque ipsorum circumstantiis adhiberi solet, in pluribus iisque sæpè gravissimis affectibus magno languentium numero haud spernendum attulit levamen, viamque reliquis ad vincendum morbum necessariis quoque medicamentis non rarò reddidit faciliorem, laude hinc sua & honore nullatenus defraudandum. Verùm, si insignem illius, qui jam increbuit, cumque ferè inemendabilem abusum tam apud ægros, quam Chirurgos spectamus, non minus periculi & damni in mortalium sanitatem vitamque tristi fato ab intempestivè & sine ratione celebratâ Venæsectione redundare deprehendemus, quàm ab alio generoso medicamento, infauſtis non rarò exemplis veritatem nostri asserti satis luculenter comprobantibus. Placuit hinc, exantlatis solennibus ac consuetis examinibus, de Abusu Venæsectionum loco Thematis Inauguralis paucis hisce pagellis quædam conscribere, materiamque litis benevolè opponentibus parare. Cæterùm fontem omnis benedictionis DEUM T. O. M. veneramur, velit nostris conatibus clementer adesse, quò cedant in sanctissimi sui nominis gloriam, multorumque ægrorum salutem optatissimam!

**V**ENÆSECTIO, antiquissimum æquè ac utilissimum institutum, nullo non tempore suos habuit & laudatores & osiores, adversis cornubus acerrimè inter se dimicantes; quidam enim nimium ipsi tribuentes, aut plus, quàm par est, in illam confidentes, in quam plurimis morbis tanquam ad divinam & maximè necessariam confugiebant medicinam, certam sibi firmamque ex illius administratione

tionē salutem promittentes, effectu tamen non semper conceptæ spei consimili. Alii verò, qui de arcanis & Universalibus Medicinis multum gloriari gestiebant, in defectu peccantes rejecerunt planè V. S. pro remedio summè noxio declarârunt, ita ut nunquam sine ingenti detrimento adhiberi possit, vocârunt impudenter & inclementer, *ein Wurdmittel* / ac funestam medendi rationem. Nos neutri horum subscribimus, neque priorum in mittendo sanguine levitatem, neque posteriorum in rejiciendo rigorem & pertinaciam approbamus, medium potius tenentes V. S. debito tempore & decenti quantitate, pensitatis probè personarum, temperamentorum, ætatum, morborum circumstantiis administratam remedium agnoscimus saluberrimum, quod non modò licitè suadetur, sed etiam commodè, efficaciter, imò sæpe in usum trahi debet. Apologiam Venæsectioni scripsisse videtur D. D. Muraltus, quando in E. N. C. D. II. A. I. Obs. 104. laudes illius sequentibus nobis exponit verbis: *Curantur V. S. inquit, omnes morbi à plethora oriundi, febrium quoque pleraque species, obstructions contumaciores, fluxiones & inflammationes, magna vulnera, contusiones, tumores, ulcera, plurium morborum Symptomata. Venæsectio porrò mitigat dolores, conciliat somnum, tanquam potentissimum Anodynum & Hypnoticum, Dysenteria & hemorrhoidibus succurrit, vix alio mitigandis remedio. Quodsi V. S. curanda Podagra non sufficit, præservabit tamen, si tempore admittatur; præsentaneum quoque & securum remedium est contra Apoplexiam sanguineam, curas anginam, libertatem oppressis restituit pulmonibus, variolas & morbillos mitigat, sic ut & cicatrices impediatur, & Symptomata inde oriunda tollat. Quemadmodum V. S. si cum ratione instituta fuerit, multorum morborum Panacea est, ita agris plurimum nocet, nisi prudenter adhibeatur.* Quantus itaque

est Usus Venæsectionum cum ratione & prudentiâ celebratarum, tanta è contrario est noxa & detrimentum, quod ex imprudenter & temerè celebratâ in Corpus humanum redundat, sanguinis missione, uti exempla id satis docent. Hoc ipso devolvimur jam propiùs ad præfixum hujus nostræ Dissertationis scopum, cujus considerationi Abusus modernus Venæsectionum ansam dedit occasionemque.

Ut Venæsectio ritè & cum quæsito sanitatis fructu instituat, probè priùs considerandæ sunt singulæ illæ circumstantiæ, à quarum neglectu aut saltem superficiali inquisitione, haud levis in ægros redundare potest infelicitas. Sic ante omnia attento perpendendum erit animo: An Vena secanda? Multi se casus offerunt Medico moribique, ubi non immeritò quæri posset; An necessariò & absolutè sanguis sit mittendus? Et utinam semper quæstio hæc prius moveretur, quàm ruerent homines leviter admodum ad generosum quidem, sed anceps unà hocce remediæ genus, meliùs sine dubio cum illorum valetudine, aut statu morbi, quo decumbunt, comparatum esset, nec tam multi infaustum adeò præcipitanter capti consilii effectum cum detrimento sanitatis in suo corpore deberent experiri. Pro affirmativa statim patrocinari videtur nimia sanguinis tam boni, quàm cacochymici quantitas, sub plethoræ nomine veniens, ex qua plerumque suboriri aut timeri solent debentque variarum partium hæmorrhagiæ, eæque in aliquibus consuetæ posthac vel emanentes, vel suppressæ, item motus sanguinis inordinatus, orgasticus, ubi ad talia tendit loca, quibus nimius illius affluxus in præjudicium cedit, variorumque morborum causa & origo existit, v. gr. In Capite Cephalalgia, Hemicrania, Ophthalmia, Odontalgia, Apoplexia, deliriorum, Anginæ;

In Thorace Asthmatis ficci, Præcordiorum angustia, Palpitationis cordis, Hæmoptyses; In Abdomine plerorumque Pathematum famoso & intricato malo Hypochondriaco propriorum, obstructionum & inflammationum viscerum, vomitûs cruenti, hæmorrhoidum etiam extra tempus & ordinem Symptomaticè magis quàm Criticè & cum ephoriâ fluentium. In his itaque & similibus affectibus V. S. suâ laude non privanda, cum decenter adhibita juxta regulas artis optato fine non destituatur. Verum enim verò, in iisdem his casibus abusus non deest, cuius luculenta quotidiana Medicorum Praxis intuetur specimina citra artis normam perpetrari solita, satisque culposa. Non sufficit enim suspicari aut prætere plethoram pro suadenda ad illius imminutionem sanguinis missione, nec omnis plethora aut levior saltem illius gradus, cruentam hanc victimam poscit, temerè & sine sufficienti præmeditatione aut causâ urgente ad V. S. confugere, parum prudentiæ arguit, cum enim repetitiones illarum consuetudinis deinde necessitatem facile relinquunt, meritò prius circumspiciendum erit, annon leviora plenitudinis incommoda, temperantiâ, jejunio, per motus & labores corporis fortiores, per convenientia alia medicamenta vel præcaveri vel averti possint. Quodsi verò hæc ab ægris, uti plerumque fieri solet, impetrari non possint, ad V. S. denique recurrendum erit. Id quod intellectum quoque volumus de plurimis ex citatis superius morbis, quos non eo sensu tetigimus, ac si semper & absolute Venæsectio in omnibus esset adhibenda, hanc enim plerumque tum demum commendandam esse censemus, ubi alia consilia constanter adhibita præstanda non præstant, aut Symptomata sæpius ac pejus recurrentia talem sibi per phlebotomiam curationem requirere videntur, manifestâ  
interim



interim plethoricæ constitutionis præsentia elucescente. Quàm parum verò ad has tam utiles præcautiones attendatur, facilè advertitur. Nonne enim pervicax hæc nostro ut plurimum tempore consuetudo increbuit, ut magna hominum copia, si ex memoratis affectibus quendam sanitati infidias struere videat, statim ad sanguinis missionem soleat confugere, quasi hâc tantò facilius dein & certius malum possit tolli, nullo recidivæ vel pejorum morbi successuum metu superstite, cùm tamen longè melius fecissent ejusmodi homines, si suo pepercissent sanguini, tanquam humori, qui majorem corpori præstat utilitatem, magisque servatu necessarius est, quàm ut tam temerè levique occasione profundatur. Multi homines, imprimis è vulgo, adeò inhiant pessimo huic mori, ut V. S. in omni ferè vel levissimo morbi insultu inconsideratè quærant, poscant, imò Chirurgis extorqueant, illisque eam dissuadentibus, quamvis rariùs hoc fiat, oggannire non vereantur, **Sie seyen ja Waister über ihren Leib/ sie sollen ihnen nur zu Uder lassen/** sed stoliditatis postea suæ dignum quoque reportant præmium, nempe miseram, dissipatis viribus, vitam, cachexiam, præmaturam mortem, effuso instar aquæ Nectare vitali. In quo errore non rarò confirmantur à Chirurgis hoc præjudicio laborantibus, quasi Venæsectio esset illud remedii genus, quod contra plerosque morbos certissima & citissima esset medicina, cùm sæpe tamen vix sciant, quid sit plethora? unde subsumi & dignosci debeat? multò minùs discernere valeant totidem diversorum hominum temperamenta, ne quid dicam, quàm parum solidi noverint de morborum causis & dependentibus hinc illorum mutationibus & successibus, quæ tamen, antequam ad V. S. progressus fiat, attendere, æquum & necessarium esse reputamus. Nota sunt exempla

exempla talium infaustarum & minus prudenter celebratarum Venæsectionum, per quas, qui tales sustinuerunt, in graviora inciderunt pericula, majores passi sunt dolores, deliria, visus debilitatem, mensium suppressionem pertinacem, virium debilitatem, cachexiam & hydropem sibi adsciverunt, utpote passim hæc & similia multa in E. N. C. aliisque authoribus non sine indignatione leguntur.

Manifesta hæc sunt & dolenda. Tolerari forsitan posset, si circa morbos solum minoris periculi, & qui chronici fieri amant, peccaretur noxiâ hac sanguinis missione, sed malè interdum in Acutis illa quoque tentatur. Optandum fuisset, ut in frequentia illa febrium acutarum durante per sat longum tempus præterito bello in castris & alibi graviter grassantium & frequentiores & diligentiores institutæ fuissent observationes, quid commodi vel noxæ accidisset à perpetrata vel omiſsa in illis sanguinis missione, ut certiores & solidiores circa grave hoc in acutis V. S. negocium consequentiæ & regulæ possent elici & formari in salutem ægrotantium, verum, cum neglecta hæctenus fuerit, aut saltem negligenter instituta necessaria hæc & utilis admodum inquisitio, hinc in re hac anticipari & dubia satius forsitan esse nobis videtur, rariùs instituire sanguinis ventilationem, ne ab illa intempestivè susceptâ commotio humorum orgasmica ulterius provocetur & exacerbetur, funestâ ut plurimum mutatione, in verso naturæ ordine, & repressis ab ea intentatis vel secretionibus vel excretionibus, prout febris per easdem sublevari & solvi potuisset ac debuisset: quanquam non negemus, præſente cum orgasmo plethora & sub principium debitâ quantitate institutam V. S. haud spernendum levamen posse afferre nonnullis acutè febrientibus. Quod si verò respicimus ad id, quod hodie ut plurimum fit, nem-

pe, quod à multis, imprimis è vulgo acuti talismodi morbi diutius quàm par est, negligantur, parvi æstimentur, & per inconvenientia remedia pervertantur, ut omnia in pejus ruant, non potest non prudens Medicus omni opere disuadere sanguinis missionem in hisce solo hoc argumento contrariam magisque noxiam vel tum ipsis tantùm proficuum, in quantum neglecto jam ordine & tempore legitimo illam prodesse adhuc propter consuetudinem possibile est, modo Medici intentionem non anteverterent vel everterent immorigeri. Quod eò majoris ponderis momentum est, circa V.S. in febribus Exanthematicis, Petechiali, Variolis, morbillis, ad quas tamen nonnullos proclives quoque deprehendimus, non ubique pari & felici eventu, ita, ut, si accuratiùs nos explicare liceat, satius esse credamus abstinere in illis febribus ab omni V.S. cum numerosissima exempla notata fuerint, ex illis, qui in talibus febribus, præsertim Epidemicè grassantibus, V.S. admiserint, plerisque vel pejus sese habuisse, vel difficiliùs sanatos fuisse, vel planè non evasisse, quamvis observatum fuerit, in aliquibus V.S. non modo in principio, sed etiam proveciore jam febre ad instantes crises bono cum successu institutam fuisse; insuper recentiorum aliqui, in Variolis imprimis, plurimum plethorico corpore sanguinis ventilationem ita proficuum deprehendisse velint, ut postea intensissimus æstus, summæ angustix, virium oppressiones, mitescere & eruptio pustularum promptè procedere inceperint; quod statu plethorico verè urgente & ejusmodi gravioribus Symptomatis concurrentibus, (si inter horum cumulum verè potest cognosci, quod in variolas eruptura sit febrilis ebullitio) aliquo modo usui esse posse concedimus, interim tamen inconveniens esse arbitramur hujusmodi casus mox in regulam vertere, & quibuscunque

Variolas parturientibus V. S. commendare, imò injungere velle, illudque non nisi Gallicæ temeritatis, Germanæ verò ad imitandum levitatis probari esse dicimus, sub Authoritate Excell. Dn. D. Stahlii, qui de hac re prolixius legi meretur in pecul. Dissert. De Venæsectione in febb. acut.

Præmissis modo, quæ supponere circa quæstionem, An Vena secanda? necessarium duximus, sequitur nunc sub examine in ordine ad personas, earumque conditiones altera Quæstio: Cui sanguinem detrahere liceat? ut ex hac quoque parte detegatur, quantum deflectant illi, qui plerisque personis sine accuratiori habito respectu ad temperamenta aut status ætatum, virium, aliaque boni habitûs requisita venam secari posse & debere prætendunt. Floridam ætatem, temperamentum sanguineo-cholericum, diætam lautam & spirituosam, vitamque à quibusdam duci solitam quietam, suppositâ exuperantiâ æquè ac calidiori sanguinis temperie & actu sese exerentibus plethoræ Symptomatibus, qualia plerumque notantur totius corporis gravitas, tensiva lassitudo, spiritûs difficultas, dolores & æstus partium, multum & causæ & necessitatis subinde inferre ad proportionatam sanguinis missionem dubium non est penes nos aliosque, qui V. S. non equidem suadere timemus, tamen ita festinanter aut temerè sine necessitate institutam approbare nunquam possumus. Verùm enim verò nec apud hos sine prudenti moderamine res semper feliciter succedit, & graves non rarò errores experientia manifestat. Nostram hic non faciemus litem, an pueris & puellis, tenerioris quippe ætatis, Venam tundere conducat? Multi sunt, qui sine periculo id fieri posse asserunt, Gallorumque praxis id contestatur quotidie. Potius autem inter abusus referri

meretur talis V. S. cum junior ætas tam calido temperamento aut verâ plethorâ nondum gaudeat, aut, si quidem adesse videatur, tanta tamen esse nequeat, dum quod superfluum est sanguinis, ad incrementum & nutritionem partium impenditur, adeoque hoc præsidii genus magis nocere videatur, detrahendo materiam & thesaurum vitæ, quo corpus crescere & roborari debet. Si qui verò essent, qui puerilem phlebotomiam innoxie institui posse asserant, ipsoque facto tentare audeant, illi, ut cautè procedant, admonendi sunt, cum insueta inter nos res sit, tenero sanguini incongrua, tentatu gravis, secare pueris venam, ut eò magis inde Medicus sibi caveat, ne tam facile in id consentiat, atque inauspicatò facto faba in eum cudatur. Idem de Senibus sentimus, quorum sanguis multum de sua spirituascentia & balsamitate dejectus vix opus habere videtur ulteriori per V. S. detractioe, & licet sint senes, qui ob aliquale adhuc residuum virium robur, sive proprium sive diætâ suffultum sanguine suo ad apparentiam premi viderentur, cum quotidie ob senium ingravescens plus deperdatur de viribus, quàm acquiratur, vix tamen impunè ferent tales Venæsectiones, ut hinc sine temeritatis nota aut famæ periculo suaderi æquè ac suscipi non possint; quod verò non de singulis dictum volumus Senibus, nec iis omnibus suas, maximè consuetas Venæsectiones dissuadere vel inhibere, si quidem toto die notantur, qui binas adhuc in anno phlebotomias sustinent, & non vivere, quàm sanguinem non mittere malunt. Secus hæc res agitur cum consistente & juvenili ætate, quæ in sanguinis missione contra varias ægritudines & securum & laudabile reperit remedium, eo verò ipso, dum non ita graves circa illius usum se sistunt difficultates, frequentioribus quoque exponitur periculis, nec semper pro voto

voto res succedit. Eò, prohdolor ! hodierno tempore devenit , ut Venæsectiones hujusmodi ætatis hominibus in consuetudinem abierint , ita ut pauci sint , qui sanitatis suæ præservandæ causâ , inconsulto Medico , semel aut bis , si non crebrius in anno sanguinem depleri non patiantur si ne necessitate & citra ullam causam manifestam , solâ consuetudine admoniti aut aliorum exemplis inducti , eundem , quem semel inceperunt , errorem repetendi ; quamquam non semper æquè tutò intermittatur , quæ temerè forsan introducebatur , consuetudo.

Nec minoris momenti abusus observantur apud Sexum sequiorem , cui benigna Natura in tantum contra abundantiam sui sanguinis , & inde dependentia , si restiterit , diversi generis , mala prospexit , ut menstrua evacuatione ritè procedente à multis hujusmodi molestiis præmunitæ vivere queant foemellæ , hâc verò quacunque de causa vel imminuta , vel ad tempus emanente , vel omninò suppressâ graviora sustinere debeant incommoda , adversus quæ ad V. S. quoque confugere assolent , quamvis non semper finem præfixum obtineant , sed suspectas se magis reddant. Quemadmodum itaque haud exiguum in modo recensitis catameniorum vitiis à tempestivâ & debito loco decentique quantitate celebrata sanguinis missione sibi promittere possunt levamen puellæ nostræ , ita è contrario ab extraordinaria tali cruenta excretionem artificiali non rarò labascentem sanitatem destruunt magis & evertunt , quam erigunt & conservant , imò sponte interdum & cum præmeditatione abuti conantur puellæ hocce remedio , eo imprimis in casu , ubi ob furtivos amores de graviditate suspectæ per largiter institutam in pedibus V. S. sub prætextu pertinacioris mensium suppressionis famæ magis consulere annituntur , quàm conscientiæ ,

qui conatus improbi ut tantò meliùs & certius reprim-  
 rentur, lege cautum est, ne Chirurghi nostri ejusmodi per-  
 sonis sine præscitu & permissione Medici Venam Saphæ-  
 nam aperire audeant, ne temere abortus procuretur. Uti-  
 nam verò laudabile hoc institutum præfixum semper con-  
 sequeretur finem, atque omnes legem Chirurghi sanctius  
 observarent, nec se captiosis suspectarum talium muliercu-  
 larum querelis facile decipere incauti paterentur, ut no-  
 minatam venam tunderent. Nec impudicæ solum ejus-  
 modi meretriculæ foetum innocentem exturbare conan-  
 tur, sed illæ quoque personæ, quæ ex honesto gravidæ  
 factæ sunt amplexu præjudicio occupatæ perverso sæpius  
 propter repetitas Venæsectiones fructum suum si non o-  
 mninò expellunt, multum tamen debilitant, putantes, se  
 & propriæ & foetus vitæ consulere, modò frequentius per  
 tempus suæ graviditatis sanguinem mittant, quod tamen,  
 quàm infeliciter sæpe cedit, exempla non rarò edocent.  
 Dum verò reprobamus hanc in gravidis Venam secandi  
 methodum, non eo id fit animo, quasi omninò & abso-  
 lutè omnibus gravidis velimus prohibere sanguinis missio-  
 nem, planè non, potius in ea versamur sententia, quod,  
 si ex variis signis concurrentibus abundantia sanguinis à  
 Medico prudenti observatur, quæ facilè limites sanitatis  
 transgredi & manifestam læsionem & matri & foetui in-  
 ferre possit, locum habere queat moderatè instituta Ve-  
 næsectio; interim non possumus non detestari perversam  
 illam consuetudinem, dum indiscriminatim præsidium hoc  
 ad omnes ferè gravidas extendi vult, & adeò non pœniteat  
 obsterrices vel Chirurgos erroris per V. S. mediis mensi-  
 bus sine ratione institutam commissi, ut potius alio cumu-  
 letur, iterata ultimis mensibus sine sufficienti causa san-  
 guinis missione, quâ in re adeò sibi perplacent, ut pro in-  
 signi

signi jactitent ornamento vel armilla, Wann die Weiber die Aderlaß, Binden mit in die Kindbett bringen. Quàm infelix verò sæpius inde advertatur eventus, notum est. vid. Bruno in Jessen. de Sangv. è sect. ven. miss. p. m. 154. seqq.

Non possumus híc sicco transire pede illum quoque errorem gravissimum, quem Chirúrgi nonnulli hinc inde circa sexum sequiorem non sine ingenti sanitatis detrimento committere solent, & in eo consistit, ut, quotiescunque vel foeminæ vel puellæ scopo vel præservativo vel curativo V. S. petunt, non sufficienter inquirant, in statum mensium vel actu jam erumpentium vel instantium & erupturorum, sed incauté satis & negligenter pergant cum excretionem hac artificiali, quæ minus forsân periculi aleret, si pedum Venæ secarentur, sed cum ut plurimum illæ brachiorum aperiantur, non potest non fieri, quin graves in mensium negotio anomalix variaque Symptomata subsequantur, ex nullo alio fonte, quàm jam adductâ ratione, deducenda.

Pergimus ulterius inquirere: Quantum Sanguinis è secta vena mittere liceat? Si in memoratis hætenus circumstantiis ingens advertitur abusus, sanè nec in hæc minor observatur. Prætermisso, qui apud Gallos & Anglos ad libras sanguinem mittendi, obtinet more, non possumus non mirari quorundam Gallo - Germanorum in sanguinis detractone audaciam, quippe qui in quantitate tam continua quàm discretâ magis excedere, quam deficere observantur. Quot enim sunt, qui adhuc hodie ad animi usque deliquium sanguinem exhaurire solent, malo omninò eventu. Si enim juxta Hippocr. Sect. VI. aph. 47. qui suppurati aut hydropici uruntur aut secantur, pure aut aquâ acervatim effluente, omninò moriuntur:



tur : quanto majus periculum incurrent illi, qui nimium cruoris unâ vice effluere sinunt. Quàm graviter hinc errant illi ex Chirurgis nostris, qui tamdiu sanguinem emittendum esse putant, donec floridior colore atque dilutior appareat, deberent enim sæpe ad animæ usque exhalationem sanguinem mittere, si vellent illius mutationem expectare, & si floridior quoque appareret sanguis emissus, melior tamen inde spes hominum sanitati promitti nequit, quippe exempla suppetunt illorum, qui funestum nihilominus eventum experti sunt, prout legi potest in pecul. Dissert. Excell. Dn. Præsidis de Sangv. è venâ sectâ miss. florid. Liceat nobis ad comprobandum nostrum assertum exemplum nimix sanguinis profusionis producere ex E. N. C. D. II, A. II. p. 387. Fœmina quædam habitus adeò corpulenti, ut per multos annos in publicum prodire nequiverit, ob molestam respirandi difficultatem, sanguinis missione subinde pro more vulgi ventilationem quærebat, sperans insimul fore, ut insignis illa & ei molesta corporis moles eo ipso quoque vel imminuatur, vel saltem in augmento suo præpediatur. Crebro itaque sibi venam tundi curavit, præsentem primùm Medico ordinario, cùm verò hic, uti virum conscientiosum decet, sanguinis quantitatem extrahendam non libris sed unciis metiretur, tandem solum Balneatorem, idque clanculum sæpe vocare solebat, qui in mittendo sanguine non ita parcus & meticulosus constitutionique suæ magis consulere visus plurimum una vice cruoris continuò profundebat, cui ipsa mulier ex domesticorum relatione his subinde verbis animum addere non dubitavit : **So recht / so recht / Meister Melchior / laßt es nur brav lauffen / jeho sind wir fein allein / was sollen uns die Docters.** Aft ah! quàm funesta catastrophè! Vix enim aliquot annis hæc

scena

scena ludebatur, & exhaustis spiritibus tam crassam molem & insanam subtractionem hactenus ægre sustinentibus lethalis hydrops accedens non tantum tragœdiæ hujus, sed ipsius quoque vitæ epilogum egit, ita ut huic mulieri de causa mortis idem judicium dari potuerit, quod ex imputatis Venæsectionibus defunctæ fœminæ nobili de cathedra proclamatum fuit, cum de lethali morbi causa nihil constiterit, Auxilium illud, è quo sperabatur sanitas, infeliciter cessit in exitium, E. N. C. D. I. Ann. III. Obs. 53. Quicumque propterea vitam suam in pretio habent, neque fata sibi suisque ægris ante diem arcessere volunt, cane pejus & angue fugiant crebram nimis V. S. quæ Parcarum instar, si quàm maximè blandiri videtur, vitæ filum rescindere solet. Novimus quoque Juvenem pileonem, qui annuis Venæsectionibus assuetus nupero vere sanguinem non misit ob laborum tum multitudinem, quâ tenebatur. Doluit inde capite cum lassitudine artuum, & prout narrabat, totius corporis. Pertæsus Cephalalgiaæ petiit à Chirurgo V. S. quam ille renuit, ex superstitione magis, quàm prudentiâ, cum signum bonum in calendario suo non inveniret eo die, quo venam aperire jubebatur. Juvenis importunè & instanter V. S. urgebat, & Chirurgus è mediana dextri brachii, sanguinis ʒV. extraxit, ne minimum cessante dolore capitis, qui videbatur intendi. Vocavit ergo post biduum de novo chirurgum, qui iteraret V. S. in opposito brachio, qui facile tum assensum præbuit, eandemque quin majorem sanguinis dosin emisit; juvenis verò aliquot post V. S. horis aliquali quasi furore tentatus fuit, æstuavit, deliravit, & post leves capitis manuumque convulsiones usque hac vertiginosus & veluti stupidus mansit.

Nec in sola quantitate peccatur continua circa V. S. negotium, sed etiam discreta. Exemplum nobis præbent luculentum Rustici nostrates & Opifices, dum cum uxoribus & familiâ otii maximè causâ, non semel in anno, sed ter vel quater, venam sibi tundi curant. Refert nobis exemplum Pechlinus in suis Observat. Mercatoris cujusdam Galli, qui 38. annos natus vix unum mensem sine V. S. transegit, quin à sedecim retro annis CLV. Venæsectiones numeravit, sano superstitite corpore, specimine tamen solis Gallis relinquendo, nec sine apertissimo sanitatis dispendio ad Germanos transferendo. Ingens hinc omni jure censetur error, quando Suevi nostri ad minimum bis in anno extra necessitatis casum Venæsectione abutuntur, nec debent mirari, si varias molestias imprimis ad cachexiam aut hydropem dispositionem sibi parant conciliantque,

Succedit Tempus, Quando scilicet cum fructu & commodè venam aperire liceat? Distinguimus inter scopum V. S. Curativum & Præservativum. In priori nullo non tempore, prævalente necessitatis gradu & præsentibus sufficientibus indicationibus venam tundere vacat, Vere, Æstate, Autumno, Hyeme, imò sine distinctione aut selectu horarum, mane, pomeridie, ad vesperam, mediamque noctem, symptomate urgente præsidium hoc in usum vocari potest. Secus se habet cum sanguinis missione præservativa, quæ moram patitur, & pro lubitu institui potest. Commendat noster Hippocr. Sect. VI. aph. 47. tempus vernum tanquam commodissimum, cui Præctici nostri subjungunt Autumnale, sed iis solùm, quibus juxta memoratas jam circumstantias, temperamentorum, ætatum, regionum, vitæ generum, virium, morborum-  
que

que convenire videtur. Quàm parum vero hæc circa remedium hoc generosum attendantur, insignes abusus luculenter evincunt. Annon enim hic inveteratus mos est, ut non plurimi solùm ex plebe indocta, sed etiam prudentiorum non pauci persuasum sibi habeant, de vitâ & valetudine actum ferè esse, nisi pro recepta hac semel aut bis sanguinem mittendi consuetudine venam aperiri curarent, nullo vel exiguo habito respectu mutationis quoad ætatem, labores, ægritudinem, aliarumque circumstantiarum vel magis urgentium vel prohibentium Venæsectionem. Unde observatur quotannis tanta fieri sanguinis profusio, ut multis in locis Balneatores sæpe deficiant pro deplendo & auferendo succo hoc vitali. Excusari autem forsitan posset prava hæc consuetudo, si decenti adhuc tempore & modo administraretur V. S. sed rustica gens, quæ maximam partem efficit, & opificum cohors plerumque hîc peccat, quando prætermisso autumno in mensem Decembrem, ad & post ferias Nativitatis Christi protendere solent solennes suas sanguinis missiones, ubi Balneatores quibusdam in locis tunc in signum cruentæ hujus festivitatis linea vexilla è fenestris suspendunt; nec hoc sufficit, sed adeò quoque absurdè procedunt tunc rustici nostri, ut totas patinas sanguinis profundant, & si qui moneantur, ne tam prodigi essent succi hujus vitalis cum detrimento sanitatis, subridendo imperant, ut Chirurghi pro illorum obolis tantum effluere sinant, quantum sibi met ipsis placeret, ita rustici volunt rusticè tractari. Quod si verò subsequenter V. S. illorum Diætam consideramus, heu! quantus abusus, quanti errores committuntur. Vix enim peractâ hac festivitate, quam consuetudinis & gulæ gratiâ præoccupati hi homines celebrare plerumque solent, in cauponas & diversoria irruunt, & non modo ci-

bis crudis & concoctu difficilibus, se infarciunt, sed etiam Vinum, licet satis acidum, tantâ copiâ ingurgitant, ut temulenti ut plurimum domunculas suas repetere cogantur, nescientes, quam ob rationem duplicem hanc jacturam & sanguinis & nummorum fecerint. Et profectò abstinere forsan eleganter posset à repetitâ hac sanguinis missione plurima pars rusticorum nostrorum, dum tenuis & minus lauta vivendi ratio, magni illorum labores & defatigationes vix talem sanguinis boni & laudabilis quantitatem conciliabunt, ut ab illa se iteratis V. Scionibus ad tuendam valetudinem liberare cogantur. Verum misera plebs regitur opinionibus, nec bonis exhortationibus vacivas facile aures præbet, hinc surdis semper narratur fabula.

Quoad diei partes vix peccatur, cum plerumque tempus matutinum sanguinis missione dicetur & satis religiosè quoque servetur, nisi casu necessitatis, urgentibus gravioribus symptomatibus etiam vespertinum vel nocturnum tempus eligi debeat, necessitas enim hîc quoque non habet legem.

Unum adhuc monendum duximus circa superstitiones Chirurgorum tabulas Phlebotomicas, *Die Gastafeln*/ scilicet multos nimis accuratos illarum esse observatores, licet ab aliis etiam ab Astrologis negligantur & explodantur. Sic à Dn. D. Fabro in *Vindic. suis Astrolog. Tabula mendacissima & impostoria vocatur, omnium licet jam manibus & plerorumque calculis oberrans, cui si unquam eventus congruat, æquè magistro adscribendus sit, ac si tremebunda manu expositæ metæ centrum verberet Sclopetarius. E. N. C. Dec. II, Ann. VIII. Append. p. 52.*

Tandem Quomodo Vena secanda? ultimum nostræ considerationis punctum sit. Huc pertinet primò *sele-*  
ctus

ctus Venarum. Non loquimur de illo, qui in partibus inferioribus vel superioribus scopo revulsorio usu haud caret, quem quidem multirident, sed contra experientiam; verum hanc insipidam improbamus methodum, qua certis morbis certas quoque dicant venas, v. gr. si caput laborat, cephalicam incidunt, si Hepar, hepaticam, si lien splenicam. Quid verò sibi velit hic selectus venarum, nullam nisi modo allatam rationem proferre Chirurghi possunt, quæ autem infirmo nititur talo, omnes hæ venæ rami sunt unius ejusdemque trunci, nec hepatica dextri brachii cum hepate, nec splenica sinistri brachii cum liene quicquam commercii habet, & ne guttam sanguinis immediatè ex his partibus hauriunt. Assentientes habemus huic nostræ sententiæ plures Medicorum, placet verò brevitatis causâ unicum saltem irritæ & irrationalis hujus venarum electionis testimonium proferre Adr. Spigelii, qui Libr. V. de hum. corp. fabr. Cap. VII. hæc habet: *Nec in seligendis locis pro V. Stionibus tam scrupulosos nos, ut solent quidam imperiti, esse decet, sed eam potissimum eligere, quæ tutissimè secari possit, quod quam optimè oculis se offerat. Quare ille quàm optimè egerit, qui prudens potius consilium, quàm scrupulosam imperitorum opinionem sequitur.*

Quàm benè hinc facerent nostri Chirurghi, si misso hoc debili de venarum selectu, fundamento, illas modo tunderent, quas omnium facillimè oculis deprehendunt, manibusque tangunt, pauciora haberemus exempla illorum, qui ob insipidam hanc rationem infeliciter sectâ venâ miseri manserunt per totum vitæ curriculum. Referimus hinc ad memoratum jam errorem inter abusus merito recensendum, Ineptitudinem quoque Venam ritè incidendi, ubi in culpam venire possunt, partim inepta &

longiori usu jam detrita instrumenta, partim deficiens necessaria dexteritas, unde subsequi deinde non raro solent tot infelices Venæsectiones, ut venas vel pertundant vel arterias incidant, vel nervum aut tendinem pungant, quas læsiones dum non omnes genuino modo tractare possunt, ejusmodi homines vel fato relinquuntur, vel etiam qualitercunque curati triste ineptitudinis Balneatoris signum in suis brachiis vel contractura vel incurvatione deformatis per vitam circumgerunt.

Duplex hinc ex multis nobis obvenit specimen noviter infelicitè ex ineptitudine administratarum Venæsectionum observatum. Unum accidit Rustico, cui peregre eunti V. S. causâ Balneator primo statim ictu medianam dextram pertudit, ex qua non tam hæmorrhagia enormis suborta, quàm ipsius brachii ferè totius insignis intumescencia, non sine metu inflammationis, eo imprimis in loco, ubi vena pertusa fuit; accessit hinc, quem peritiorum sibi laudari audivit, alium Chirurgum, qui paulo supra locum, ubi ex percussa vena extravasatus sanguis collectus fuerat, tumorem temerè & nimis longa incisione aperuit, grumos extraxit, & cum sperasset, vix aliquod damnum vel periculum ulterius subesse, felici hac suâ curatione brachio non solùm atrophiam, sed & plenariam laborandi impotentiam contraxit, ut cogatur modò ante fores stipem panemque sibi suisque quærere miser. Alterum contigit mulieri carnosa, cui Chirurgi minister, artis Phlebotomicæ nondum satis gnarus, venam Basilicam sinistram, quam nescio ex qua ratione Die Herby-Alder vocabat, secare volens propter obesulum fœminæ habitum invenire non statim potuit, ea vero ipsa de causa indignabundus, ne videatur errasse, repetito ictu eoque violento instrumentum in carnem venamque intrusit tamdiu,

diu, usque dum satis amplo facto foramine sanguis largissime profilierit, ut difficulter sedari potuerit; Fœmina verò, uti statim sub ictu atrocissimum dolorem punctotium sensit in brachio cum aliquali insequente ejus inflammatione, ita & hanc posthac molestiam passa fuit, ut vulnus longe tempore consolidari non potuerit, & toto die largum pus fuderit, & si diutius duraverit, cum ipsius brachii contabescencia, quod expectandum erit.

Ex hisce paucis luculenter jam patebit, quanta circumspetione & prudentia opus sit circa V. S. negocium, Monemus hinc tam Ægros, quàm Chirurgos, ne tam incautè & protervè agant. Priores, ne tam faciles se præbeant ad illam sustinendam, nec cuivis Balneatori aut ineptulo ejus ministro se credant, si sanitas & vita ipsis aliàs in pretio est. Chirurgos verò hortamur enixissimè, ut tot infaustis exemplis prudentiores redditi cautius in posterum cum sanguine humano mercari discant, nec sua vel ignorantia vel ineptitudine homines & sanitatem & vitam privent.

Tantum de hac materia. DEO Ter Optimo Terque Maximo humillimas offerimus gratias pro concessis ad hanc meditationem viribus, Etque porrò nos omnesque nostros conatus toto corde commendamus!

S. D. G.



# COROLLARIA.

I.

**E**X Urina omnes morbos cognoscere impossibile est.

II.

Causa Universalitatis Variolarum dari sufficiens nulla potest.

III.

Specificum Antipodagricum, quod ætatem tulerit, nullum cognitum.

IV.

Feliciorem & prudentiorem credimus Practicum, qui paucis & selectis, quàm copiosis utitur medicamentis.

V.

Nec quicquam æquè sanitatem impedit, quàm crebra remediorum mutatio.

VI.

Applicatio Medicamentorum justâ dosi, tempore & ordine optimum est Medici Arcanum.